



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

Svmmarivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

bus reconciliatio ecclesiæ, eodem etiam modo reconcilianda est. Arg. c. consuluisti. de consec. eccl. vel altar. Vnde sicut Ecclesia non consecrata ad celebrandum, si polluat, reconciliari poterit per presbyterum cum aqua a se exorcizata, c. si. de consec. eccl. vel altar. ita etiam cœmeterium non solemniter consecratum, sed simpliciter auctoritate Episcopi deputatum ad sepelendum, a Sacerdote cum aqua ab ipso exorcizata reconciliari potest. Et sicut Ecclesia consecrata ad celebrandum, per Episcopum, & non per presbyterum reconciliari debet: c. aqua. de consec. eccl. sic etiam cœmeterium solemniter consecratum per episcopum, sit polluat, per solum episcopum, aqua solemniter cum vino & cinere per episcopum benedicta, solemniter reconsecrari debet, d. c. consuluisti nec a presbytero absque speciali privilegio, ecclesia, vel cœmeterium hoc modo consecratum & pollutum reconsecrari valet.

DECISIO III.

Ex conf. 2. in Nouis deest in antiquis.

Cum omnia, quæ sunt ordinis, exceptis ijs, quæ sunt ordinis episcopalis, & quæ sunt expressè sacerdotibus simplicibus iure communi prohibita, (vt est consecratio corporaliū c. consecrato, de consec. d. 1. & c. quamuis. d. 68.) parochi facere possint, vnde & aquam lustralem benedicunt, Ecclesiam nondum consecratam sed solum benedictam, si polluat, aqua a se exorcizata expiant, & alia ornamenta altarium benedunt, imò etiam solo iure scripto at. et. vestes sacras, seu indumenta sacerdotis benedicere queunt; quia tamen consuetudo vniuersalis contrarium induxisse videtur, & constat eam posse legè inducere, & legem inductam abrogare, c. si. de consuet. solū parochis ex consuetudine indumenta altarium, & alia ornamenta, exceptis vestibus ad dicendam Missam sacerdoti necessarijs, & corporalib. benedicere licet; quia sola vestium sacerdotaliū, & corporalium benedictio, ab eorum potestate, consuetudine, vel iure communi subtracta videtur,

TITVLVS XXXIII.

De celebratione Missarum,

S V M M A R I V M.

- 1 Subdiaconus qui non est, in Missa parasceues passionem sine stola, vt lector, cantare potest.
- 2 Presbyter preces ordinatas, cum sacris vestibus vestitus, dicere debet.
- 3 Missam celebrans addere potest clausulam, Et Regem nostrum, &c.
- 4 Missam celebrare licet capite tecto amictu, cessante scandalo.
- 5 Missam sine literis dimissoria, etsi peccat, irregularitatem tamen non incurrit.
- 6 Missa sacrificium quot modis applicari valet defunctis.
- 7 Missa pro vna multis pitiatis accipiens, etiam de licentia superioris, peccat.
- 8 Missas tres nullus sacerdos in nocte sancta celebrare tenetur.
- 9 Missam bis in die quando celebrare licet.
- 10 Eucharistiam infirmo bis post cibum per modum viatici quando dare licet.
- 11 Breuiario Romano qui non tenentur, eo extra chorum vti non possunt.
- 12 Beneficiarius horas non recitans, primis sex mensib. peccat solum, postea vero etiā fructus restituere tenetur.
- 13 Canonici horas collegialiter in choro recitare tenentur.
- 14 Horas recitare non tenetur, qui possessionem beneficii non est adeptus.
- 15 Cæcus, qui horas dicere non valet, nulla ad hoc dispensatione indiget.

- 16 Horas priuatim recitare potest, quis idiomate quoniam.
- 17 Milites religiosi, vt pensionarij, ad officium B. Mariæ non tenentur.
- 18 Missam audire tenetur latinus, qui eam non nisi ritu Græcorum audire potest.
- 19 Breuiarium antiquū habes, an nouo Romano vti possit.
- 20 Missa, & officium defunctorum, an pro viuis dici possint.
- 21 Missarum numerus in ecclesiarum foundationibus positus, vt minimi possit.
- 22 Beneficiarius horas non recitans pro rata fructus restituere tenetur.
- 23 Dispensatus subdiaconus, vt ducat uxorem, an ad horas canonicas teneatur.

DECISIO I.

Ex conf. 1. deest in Nouis.

Subdiaconus qui non est inseruiens in celebratione Missarum solemnium, tanquam subdiaconus, vel partem vel totam passionem solus in die parasceues sine stola tanquam cantor, aut lector cantare potest; sicut Epistolam sine manipulo quilibet clericus cantare valet, modo non seruiat in alijs vt Diaconus, vel subdiaconus, & Presbyter sibi de more sub silentio Euangelium cantandum dicat.

DECISIO II.

Ex conf. 1. alias 3.

Cum cōsuetudo immemorialis Ecclesiæ latinæ sit, vt presbyter orationes & preces ordinatas cum sacris vestibus vestitur, recitet, & consuetudo rationalis, præsertim cum sit immemorialis vim cōstitutionis habet, vbi lex deficit; c. Super quibusdam, de verb. sign. consequenter Presbyteri omnes singulas preces pro singulis vestibus in Missali Romano institutas, cum sacris vestibus vestitur, recitare tenentur: Eatum tamen omnium, aut vnius omisso dummodo ex obliuione, in cogitantia, vel alia iusta de causa fiat, & non ex contemptu, venialis solum culpa erit; cum in omni materia paruitas, & subreptio transgressionis legis, vel consuetudinis a mortali excuset, ita S. Th. 2. 2. q. 3. ar. 3. & q. 36. ar. 2. & 3. & Nau. in Man. pr. l. 9. nu. 10. Mortalis autem erit, si ex contemptu, vel sine contemptu, scienter, deliberate, & sine causa omittentur, cū constet orationes illas accessoria quædam esse prædictis vestibus, sine quibus presbyter missando peccaret, etiam si id metu mortis faceret, vt placet Cai. 1. 2. q. 96. ar. 4. & Nau. in Man. c. 2. 5. nu. 83. accessoriū autem tui principalis naturam sequi debet, c. Accessoriū, de reg. iur. in 6.

DECISIO III.

Ex conf. 3. alias 4.

Missam celebrans in vltima oratione, quæ in Missa post communionem pro Papa dicitur, iuxta antiquum usum, clausulam illam, & Regem nostrum cū prole Regia, & Episcopum nostrum non obstante Bulla Pij V. in Missali Romano posita, qua idem Pontifex in Missarum celebratione decernit, nihil vnquam addendum, detrahendum, aut mutandum esse, addere licite potest; eo quod lex quæ non est recepta, vel non quoad aliquam partem saltem non obligat quoad illam partem, pro qua vsu recepta non est, S. leg. 1. d. 4. & gl. in c. 1. de treuga & pace, etiam si quoad alias omnes partes recipiatur: vt sentit Nau. in Man. c. 23. nu. 62. vnde cum lex illa etiam ipso Papa viuente & sciente, non solum in Hispania, sed etiam in tribus saltem Ecclesijs vbi bis, scilicet S. Iacobi, B. Mariæ de Mōferrata, quæ est Aragonum, & S. An. onij quæ est Lusitanorum, recepta non sit, quod illi in particulam, non quidem ex contemptu, ob bonos mores, respectus, obseruantiam, & pietatē, qua hortante Apostolo, 1. Tim. 2. subditi sunt, & esse debent in suos Reges, sine peccato a celebrantibus clausula illa addi potest.

D E.